

ad quos spectent, nec non quinque traduntur modi, quibus pascendi jus acquiri potest, et per totum exponitur, quod hac de re scitu dignum est.

PACTUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt naturam, divisionem et effectus pactorum.

SUMMARIUM.

1. Pactum unde sic dictum? — 2. Pactum quid sit. — 3. Pactum (omissis aliis minus scitu necessariis divisionibus) præcipue dividitur in pactum nudum, et vestitum. — 4. Pactum nudum quale sit? — 5. Pactum vestitum quale sit? — 6. Pactum pluribus modis vestitur. — 7. Primo vestitur specifico nomine contractus. — 8. Secundo vestitur legis assistentia, seu juris auxilio. — 9. Tertio vestitur coherentia cum contractu nominato. — 10. Quarto vestitur traditione rei, seu impletione promissi. — 11. Quinto vestitur adjectione juramenti. — 12. Sexto vestitur vestimento verborum, seu per stipulationem. — 13. Septimo vestitur litteris seu proprio chirographo. — 14. Primarius ac principalis effectus pactorum est obligatio naturalis. — 15. Princeps, licet sit solutus legibus, nihilominus obligatur ex nudo pacto etiam inito cum propriis subditis. — 16. Princeps ex pacto obligatur jure naturali, et divino, cui etiam Papa et imperator subiciuntur. — 17. Quicumque non servat pacta etiam nuda, dummodo deliberate et serio facta, peccat mortaliter. — 18. Pacta quæcumque ratione naturalis obligationis pariunt quosdam alios notabiles effectus etiam pro foro externo. — 19. Primo igitur quilibet pacta etiam nuda, ac pro foro externo pariunt exceptionem. — 20. Secundo impediunt debiti soluti repetitionem. — 21. Tertio tribuunt jus compensandi. — 22. Quarto quibuslibet pactis etiam nudis potest accedere fidejussor, et efficaciter obligari. — 23. Quinto pacta omnia etiam nuda pariunt facultatem retinendi pignus. — 24. De jure canonico ex pacto nudo datur actio. — 25. De rigore juris civilis ex pacto nudo non datur actio, sed solum exceptio. — 26. Secundum autem hodiernos mores etiam in foro civili datur actio ex pacto nudo. — 27. Subnect. *Add. ex al. man. ad n. 35.*

(1. Pactum est sic dictum a pactione, textu expresso in leg. *Hujus edicti 1, ff. De pactis, § 1, ibi: «Pactum autem a pactione dicitur,»* vel quasi ex pace factum, quia per pacta fieri solet pax, cap. *Pactum 11, De verbor. significat.*, ibi: «Pactum quasi ex pace factum,» et concordat cit. l. *Hujus edicti, § 1, ibi: «Inde etiam pacis nomen appellatum est.»*

(2. «Pactum (165) est duorum, pluriumve in idem placitum consensus.» Sic præcisus verbis definitur in cit. l. *Hujus edicti, § 2, seu ut definitur in l. Pactum 3, ff. De pollicitationibus: «Pactum est duorum consensus, atque conventio;»* et concordat definitio, quæ refertur in cap. *Pactum 11, De verbor. significat.*, ibi: «Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens scriptura legibus et mo-

(165) In allegato textu non pactum legitur, sed pactio. Nonnulli quidem doctorum aliquod, alii vero nullum inter pactionem et pactum constituent discrimen. Cujacius quippe censet pacti, seu pactionis appellatione nunquam contineri contractum, sed tantum nomine conventionis definitionem pactionis, quæ hic affertur, non convenire contractui,

ribus comprobata. » Ly enim scriptura, non denotat, quod pactum sine scriptura fieri non possit, sed solum demonstrat, quod solet in pactis interponi scriptura ad faciliorem et clariorem pactorum probationem, ut recte explicat Glossa *ibidem*.

(3. Pactum (omissis aliis minus scitu necessariis divisionibus) præcipue dividitur in pactum nudum et vestitum, seu legitimum, Abbas. in c. *Antigonus 1, De pactis, n. 4* et alii communiter. (4. Pactum nudum est illud, quod in sola conventionem paciscentium consistit; et dicitur nudum, quia stat in puris, simplicibus et nudis finibus conventionis, sicut ille dicitur nudus, qui est sicuti de utero processit, ut declarant Bartolus in leg. *Juris gentium, § Igitur, n. 1, ff. De pactis; Abbas, in cit. cap. Antigonus 1, De pactis, n. 4; Fagn., ibid., n. 18* et alii passim. Non enim intercedit aliquod extrinsecum, quo vestiatur, videlicet, nec stipulatio, nec solemnitas scripturæ, aut hujusmodi. (5. Pactum vestitum, seu legitimum est illud, quod, præter conventionem partium, aliquod aliud juris administratum habet, ratione cujus actio civilis in foro externo oritur, leg. *Legitima conventio, ff. De pactis, ibi: «Legitima conventio est, quæ lege aliqua confirmatur, et ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege, vel senatusconsulto adjuvatur;»* et concordat textus in leg. *Juris gentium § 1, et seq., ff. eodem*.

* Rectius mutuanda est pactorum divisio ex ipso textu in l. 5, § 1, ff. *De pactis*. «Conventionum autem tres sunt species: aut enim ex publica causa fiunt, aut ex privata; privata aut legitima, aut juris gentium. Publica conventio est, quæ fit per pacem, quoties inter se duces belli quædam paciscuntur;» dummodo tamen duces mandatum habeant ex ipso principe, vel princeps ipse paciscatur. In lege autem 6, ff. eodem, definitur quod privata, et «legitima conventio ea est, quæ lege aliqua confirmatur. Et ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege, vel senatusconsulto adjuvatur.» Hæ legitimæ conventiones, vel scripse dicuntur legitimæ, cum specialiter aliqua lege civili confirmantur, vel prætoriarum sunt, cum nulla quidem civili lege, sed jure prætorio specialiter confirmantur, ut conventio de hypotheca. Privata conventio juris gentium illa est, quæ nec ulla lege civili, nec prætoriarum confirmata est, sed unice pendet ex privatorum arbitrio. Conventionum etiam celeberrima divisio est in contractus tam nominatos quam innominatos et in

qui contractus præter duorum consensum, adhuc aliquid habet, scilicet aut nomen, aut causam. Contra Gerardus Noodi, pactum et pactionem largo sensu idem sonare, ad conventionem, ut tam contractus, quam pacta simpliciter dicta complectatur, et eo sensu pactionem hic defini.

pacta strictè dicta. Enimvero, ut ait textus in dicta l. 1, § 4, ff. eod., «Conventiones pleræque in aliud nomen transeunt, veluti in emptionem, in locationem, in pignus, vel in stipulationem.» Hæ conventiones dicuntur contractus nominati, quæ scilicet inter innumeras conventionum species selectæ a primis juris auctoribus, ut actionem certam parerent sub certo ac speciali nomine. Omnes aliæ conventiones nomen quidem non habent, sed si habeant causam, id est, si in his intervenerit aliquod factum, aut alicujus rei datio, per quod factum dationemve conventio impleri ex una parte cæpta sit, sunt contractus et hi dicuntur contractus innominati. Denique conventiones, quæ nec nomen, nec causam habent, sunt conventiones simpliciter dictæ, seu pacta strictè dicta. Hæ pacta strictè dicta sunt vel legitima, vel prætoriarum, vel adjecta alicui contractui, vel nuda de quibus in decursu agemus.

Est et alia pactorum divisio, quod «pactorum quædam in rem sunt, quædam in personam,» l. 7, § 8, ff. *Hoc tit. In rem sunt, cum nulla sit limitatio personarum, quibus prodesse pactum debeat. In personam sunt, cum hoc agitur, ut pacti utilitas ultra certam personam non porrigatur, puta ultra personam paciscentis v. g. Pacta «in rem sunt, quoties generaliter paciscor, ne petam; in personam, quoties ne a persona petam, id est ne a Lucio Titio petam.» Hinc patet discriminis ratio inter utramque pacti speciem; nimirum pactum in rem omnibus prodest, quibus pactum prodesse posse videbimus. Contra vero in personali pacto, ut «Si quis paciscatur, ne a se petatur, sed ut ab hærede petatur, hæredi exceptio non proderit,» l. 17, § 3, ff. *Hoc tit.* Multo minus proderit fidejussoribus et similibus personis. Nam generaliter «personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad hæredem,» Labeo, ait l. 25, § 1, ff. *Hoc tit.**

Vidimus quæ pacta dicantur in rem quæ in personam et in quo differant. «Utrum autem in rem, an in personam pactum factum sit, non minus ex verbis quam ex mente convenientium æstimandum est. Plerumque enim, ut et Peditus ait, persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstraretur cum quo pactum factum est.» Ita docet Ulpianus, in l. 7, § 8, ff. *Hoc tit.*, vers. *Utrum*. Cum in limitando ad certas personas pacti effectus mens convenientium magis quam verba attendi debeant, hinc sequitur, quod Papinianus definit in specie sequenti: «Pater qui dotem promissit, pactus est, ut post mortem suam, in matrimonio sine liberis defuncta filia, portio dotis apud hæredem suum fratrem remaneret. Ea conventio liberis e socero postea susceptis, et hæredibus testamento relictis per exceptionem doli proderit, cum inter contrahentes id pactum sit, ut hæredibus consulatur, et illo tempore, quo pater alios filios non habuit, in fratrem suum judicium supremum contulisse videatur.» l. 40, § 3, ff. *Hoc tit.* Nam etsi liberi paciscentis verbis pacti non contineantur, quam ob causam

non competit illis exceptio pacti, nihilominus continentur sententia pacti. Etenim pater, qui fratri suo, quem sibi hæredem fore putabat, dotis portionem reddi pactus est, multo magis voluisset eam liberis suis reddi, si liberos se suscepturum scivisset. Et inde manifeste eruitur hæc voluntas, quod liberos illos testamento hæredes reliquerit, cum antea fratrem hæredem instituisset, eique quasi hæredi pactus esset. Illud etiam patet, quod tale pactum PROFITEOR TE NON TENERI, non in personam dirigitur, sed cum generale sit, locum inter hæredes quoque litigantes habebit, ut pariter docet Papinianus in dicta l. 40, ff. *Hoc tit.* Divisionem pactorum in rem, et in personam fecimus ex parte ejus, cui quid promittitur. Similis divisio fieri potest ex parte alterius paciscentis, qui promittit. Possunt autem pacta sic esse in rem ex una parte et in personam ex alia. Et quidem «si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum fuerit; veluti ne ego petam, vel ne a te petatur; hæres meus ab omnibus vobis petitionem habebit et ab hærede tuo omnes petere poterimus.» l. 57, § 1, ff. *Hoc tit.*

Quemadmodum hactenus recensitæ sunt divisiones conventionum simpliciter dictarum, ita inopportuna non erit enumerare divisiones contractuum, qui ab hujusmodi conventionibus procedunt. Contractus quippe dividuntur ratione originis, in civiles et juris gentium; ratione obligationis, quam pariunt, unilaterales, qui scilicet unum tantum in contrahentibus obligant, et bilaterales seu synallagmaticos, qui obligant utrinque. Ratione eorum effectus circa judicia, dividuntur in contractus stricti juris et bonæ fidei; ita dicti, quia in actionibus, quæ ex his descendebant, libera facultas iudici permittebatur judicandi quod æquum ac bonum sibi videretur. Contra erat strictus formulæ, quæ ex contractibus stricti juris dabatur.*

(6. Pactum pluribus modis vestitur, seu jure civili confirmatur, et hos præcipuos modos enumerat Glossa magna in cit. l. *Juris gentium, § Sed cum nulla, verb. Quintimo, ff. De pactis; Bartolus, ib.; Pirhing, lib. 1 Decret., tit. 35, a num. 4; Reiffenstuel, ib., a n. 20, et alii passim.*

(7. Primo igitur vestitur, si pactum simplex transeat in contractum specificum, seu nominatum, seu in genere perfectum, v. g. in emptionem, venditionem, locationem, commodatum, depositum, et hujusmodi; generatim enim omnes contractus nominati sunt vestiti, et pariunt actionem, quando in suo genere sunt perfecti. Citat. l. *Juris gentium, § 1, ff. De pactis.*

(8. Secundo, pactum nudum, seu simplex vestitur, seu confirmatur legis assistentia, seu juris auxilio, ita ut ex eo oriatur actio civilis ex juris privilegio, ut colligitur ex l. *Legitima 6, De pactis, et notat Glossa, ib.* Sic quippe ex simplici donatione, postquam acceptata est ante traditionem rei, jure novo codicis oritur actio civilis ad rei ita promissæ traditionem; l. *Si quis 55,*

§ *Sed si quidem*, cod. *De donatione*. Item ex nudo pacto dotis præstandæ, seu ex simplici promissione dotis acceptata in favorem matrimonii, oritur actio civilis. *L. Unica*, cod. *De rei uxoris actione*; leg. *Ad exactionem 7*, cod. *De dotis promissione*.

(9. Tertio, vestitur, et confirmatur pactum nudum, seu simplex, coherencia cum contractu nominato, vel alio pacto vestito, videlicet si pactum incontinenti, et non ex intervallo adiciatur alteri contractui nominato, vel pacto vestito, sive pactum nudum præcedat contractum nominatum, vel pactum vestitum, sive confestim subsequatur. Cit. leg. *Juris gentium 7*, ff. *De pactis*, § *Quinimo*, et seq. Sic quando quis locat alteri domum, adjecto simul pacto, ut agrum suum adjacentem colat, tale pactum non dicitur amplius nudum, quia cum cohercat cum illo primo pacto vestito, seu contractu locationis, hoc adimpleto ex parte locantis domum, firmatur etiam illud pactum nudum et simplex, ita ut pariat actionem civilem, sicut primum pactum vestitum, seu contractus locationis domus.

(10. Quarto, vestitur et confirmatur pactum nudum, seu simplex, per traditionem rei, seu impletionem promissi, cit. *l. Juris gentium 7*, § 2, ff. *De pactis*. Sic quando quis dat alteri aliquid, ut aliud ipsi, vel pro se faciat, tale pactum non est amplius nudum, sed ex parte ejus, qui dedit, seu promissum implevit, dicitur vestitum, et parit actionem civilem, cum ipse petere possit, ut aliter adimpleat contractum, et præstet quod conventum est, vel ut sibi restituat quod dedit, vel quantum sua interest, leg. *Naturalis 3*, ff. *De præscriptis verbis*, l. *Si ob rem 1*, leg. *Dedi 3*, § *Sed si tibi*; l. *Si pecuniam 5*, in princip., *De conditione causa data, causa non secuta*.

(11. Quinto, vestitur et confirmatur pactum nudum, seu simplex, adjectione juramenti, ita ut exinde etiam de jure civili concedatur actio. Arg. *l. Ut iurisjurandi*, ff. *De operibus libertorum*, et tenent Covarruv., in cap. *Quamvis*, part. II, § 4, num. 27, *De pactis*, in 6; Pirhing, lib. I *Decretal.*, tit. 35, n. 3; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 23; Engel, *ibid.*, n. 8, cum aliis ibi citatis. Omne enim juramentum, quod sine salutis æternæ dispendio servari potest, in utroque foro servandum est; cap. *Cum contingat 23*, *De iurejurando*.

(12. Sexto, vestitur et confirmatur pactum nudum, seu simplex, vestimento verborum, sive per stipulationem, quæ stipulatio valet, sub quacunque verborum forma sit concepta, § 1, *In hac re*, instit. *De verborum obligationibus*, leg. *Omnes stipulationes 10*, cod. *De contrahenda stipulatione*.

(13. Septimo, vestitur et confirmatur pactum nudum, seu simplex, litteris, sive per proprium chirographum; ut quando quis sub suo chirographo aliquid paciscitur, sive alteri promittit. Arg. § *unico*, *Olim Scriptura*, instit. *De litterarum obligationibus*.

(14. Primarius ac principalis effectus pactorum est obligatio naturalis. *C. Antigonus*

1. *De pactis*, ibi: « Inita pacta suam obtineant firmitatem... pacta custodiantur; » et in ejus summario expresse dicitur: « Pacta quantumcunque nuda servanda sunt, » et c. *Qualiter 3*, cod., ibi: « Studioso agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur. » Et concordat *l. Hujus edicti 1*, ff. *De pactis*, in principio, ubi expresse dicitur: « Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare? » (15. Et propterea princeps, licet sit solutus legibus, leg. *Princeps*, ff. *De legibus*; nihilominus obligatur ex nudo pacto etiam inito cum propriis subditis. Arg. c. *Ex Epistolæ verbis 1*, *De probationibus*, adeo ut ab eo recedere non possit etiam de plenitudine potestatis; Bald., in c. 1, § *Ad hæc*, col. 5, ff. *De pactis juram. firmand.*; Paul. de Castr., in *l. Digna vox*, cod. *De legibus*; card. Zabarell., consil. 147, *Dominus noster Papa*; Socin., consil. 86, n. 14, lib. IV; Fagnan., in cit. c. *Ex epistolæ verbis 1*, *De probationibus*, num. 23, cum aliis ibi citatis, et in cap. *Antigonus 1*, *De pactis*, n. 7; Reiffenst., l. I *Decret.*, tit. 35, n. 23, (16. Et hoc non alia ratione, nisi quia princeps ex pacto obligatur jure naturali et divino, cui etiam Papa et imperator subjiciuntur, Clementin. *Pastoralis*, *De re judicat.*; card. Zabarella, citat. consil. 147, n. 7; Abbas, in cap. 1, *De constitutionibus*; Fagnan., *loc. cit.*; Reiffenstuel, *l. c.*, et alii.

(17. Hinc quicumque non servat pacta etiam nuda, dummodo deliberata et serio facta, peccat mortaliter; arg. cap. *Prædicandum 22*, q. 1, l. *Antigonus 1*, et c. *Qualiter 3*, *De pactis*; et l. *Hoc edicto 1*, *De pecunia constituta*, ibi: « Hoc edicto prætor favet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit; quoniam grave est idem fallere. » Et probatur efficaciter ex cit. cap. *Antigonus 1*, *De pactis*, ubi recedens a pacto potest excommunicari. Excommunicatio autem non infligitur, nisi pro mortali, ut est textus in c. *Nemo episcoporum 11*, q. 1, adeoque, etc. Et sic tenent *Glossa*, Hostiensis, Joann. Andreas, Bellarm., cardin. Butrius, Imola, Archidiaconus, et alii communiter, teste Fagnano, in cit. c. *Antigonus 1*, *De pactis*, n. 5.

(18. Pacta quæcunque ratione naturalis obligationis pariunt quosdam alios notabiles effectus, etiam pro foro externo. Molina, tom. II *De just. et jure*, tract. 2, disp. 237, n. 1; Lessius, lib. II *De justit. et jure*, c. 17, n. 23; Layman., lib. III, tr. 4, c. 9, n. 9; Pirhing, lib. I *Decret.*, tit. 35; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 29.

(19. Primo igitur quælibet pacta etiam nuda, ac pro foro externo pariunt exceptionem; *l. Juris gentium 7*, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*; ita ut licet promissarius non possit instituta actione petere, quod sibi promissum est ex simplici et nuda promissione, potest tamen pacto illo tanquam exceptione uti, ut se defendat ab actoris petitione, eumque repellat. Hinc si Petrus, v. g., simpliciter promissit se centum aureos mutuo daturum Paulo, isque vicissim Petro

debeat centum ex venditione, in tali casu Paulus Petrum petentem centum aureos sibi debitos potest repellere exceptione promissi mutui (166).

(20. Secundo pacta omnia impediunt debili soluti repetitionem, unde quod semel ex tali pacto solutum est, potest retineri, non solum in foro conscientie, sed etiam pro foro externo, ita ut non debeat neque in judicio restitui; arg. cit. *l. Juris gentium 7*, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*, et § *Præterea*, instit. *De exceptionibus*.

(21. Tertio, pacta omnia etiam nuda tribuunt jus compensandi; unde debitor potest facere compensationem in eo quod sibi ex pacto nudo creditor debebat, neque in foro etiam externo compelli potest ad plus solvendum quam excessum. Arg. cit. leg. *Juris gentium 7*, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*, et § *Præterea*, instit. *De exceptionibus*.

(22. Quarto, quibuslibet pactis etiam nudis potest accedere fidejussor, et hic efficaciter obligari, ita ut contra eum detur actio. Arg. *l. Fidejussoribus*, ff. *De fidejussoribus*.

(23. Quinto, pacta omnia etiam nuda pariunt facultatem retinendi pignus; unde potest retineri pignus datum, donec solvatur id, quod ex nudo pacto est debitum; Molina, tom. II *De justitia et jure*, tract. 1, disp. 25, n. 1; Lessius, lib. II *De justit.*, cap. 17, n. 23; Pirhing, *loc. cit.*, num. 23, argum. cit. *l. Juris gentium 7*, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*, et § *Præterea*, instit. *De exceptionibus*.

VI. Nudo pacto dominium rei in alium transferri non potest: et ideo, si quis vendat pacto adjecto, ut emptor statim ejus rei dominus fiat, illud pactum nullius efficacie est quantum ad dominii translationem. Duaren., *Oper.* tom. I, p. 73, in tit. *De pactis*, n. 4. *

(24. De jure canonico ex pacto nudo datur actio, id est jus exigendi in judicio illud, de quo inter paciscentes conventum fuit; sic colligitur aperte ex cap. *Antigonus 1*, et c. *Qualiter 3*, *De pactis*, et tenet *Glossa* in cit. cap. *Antigonus*; Abbas, *ibid.*, n. 3; Bald., n. 11; Felin., n. 4; Fagnan., num. 24, et canonistæ communiter, ut testantur Fagnan., *loc. cit.*, Reiffenstuel, *loc. cit. Decret.*, tit. 35, n. 31 et seq.

(25. De rigore juris civilis non datur actio ex pacto nudo, sed solum exceptio. *Communis*, textu expresso in *l. Juris gentium 7*, § *Sed cum nulla*, ff. *De pactis*, ibi: « Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem, » ubi per *ly obligationem Glossa*, *ibid.*, dicit, quod intelligitur obligatio efficax, id est talis, qua quis actione instituta possit petere in judicio, quod sibi ex nudo pacto promissum fuit. Et concordat *l. Ex placito 3*, cod. *De rer. permutat.*

(166) Non quælibet pacta, prout auctor firmat, exceptionem pariunt, sed ea tantum, quæ de non petenda pecunia aliisque similibus interponuntur. Si enim pactus sim tecum, ut fundum quem possides, Titio tradas, Proculus, lib. v epistolarum respondit vindicantem me eum fundum a te, non aliter me conventionis exceptione excludi debere,

(26. Dicitur autem notanter « de rigore juris civilis, » quia secundum hodiernos mores, etiam in foro civili datur actio ex pacto nudo, prout tradunt uno ore interpretes, testibus Christ. Clingensperger, l. III, instit. 14, q. 10; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 35, n. 37; Pirhing, *ibid.*, num. 37; card. de Lugo, disp. 22, *De contractibus*, sect. 5, n. 36. Et hoc merito, ne forum internum discordet ab externo, et ut delictis janua non aperiatur.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(27. De vi pactorum, attento jure naturæ, attento jure civili Romanorum, attento jure canonico, tum attentis hodiernis moribus gentium, vide quæ diximus in *Addit.* ad verb. *CONTRACTUS*.

(28. Illud hic denuo inculcandum est, haud confundenda esse pacta cum tractatibus; illa negotium in se perfectum, hi perficiendum continent, et ita a tum imperfectum continent. (29. *Imperfectum* autem dicitur, juxta *legem penultimam*, in fin. c. De his quib. ut indign. Ad quod perficiendum, seu agendum aliqui superest; adeoque etsi plura jam acta sint inter partes, ita ut prope res peracta sit, nihil tamen actum intelligitur, quando totum negotium non plene est absolutum. Confer Coccej., *Dissert. de jur. circ. act. imperfect.*, sect. 2, § 4, in fine.

(30. In sponsalibus quæ pacto perficiuntur, observatio hæc insignem præbet usum. Ea non sunt perfecta, nisi paciscentes consensus categoricum adeo ad futurum matrimonium ediderint, ut nihil determinandum supersit. Si adhuc quædam determinanda reservata sunt, imperfecta sunt ex doctrina jam proposita.

(31. Quid sentiendum sit de pactis præparatoriis contractuum, facile ex dictis judicari potest. Meo judicio meris tractatibus referri debent pacta præparatoria contractuum. (32. Hinc etiam, si quis indefinite promiserit, se rem alteri venditurum, locaturum, seu societatem cum altero initurum esse, hæc promissa sunt indefinita, et respiciunt negotium futurum adhuc determinandum, adeoque imperfecta dicenda. Et ita quando nondum apparet eo usque partes consensisse, ut jam subsistere, nihilque amplius isti rei addere, sed ei quod jam placuit acquiescere valeat, imperfectus est actus. Coccej., cit. *dissert.*, sect. 3, § 3.

(33. Contra vero, si pactum, quod contractum præcedit, in se sit determinatum definitumque, ut contractui accedente nihil amplius sit determinandum, hic actus non nudum tractatum, sed pactum absolutum continet.

quam si aut jam ante tradidisse, aut si tua causa id inter nos convenisset, et per te non stare quominus jam traderes. Leg. *Si cum fundum 57*, ff. *Hoc ut*. Quamvis actum ex nudo pacto non detur actio, si tamen pacto adjecta sit pœna, hæc solvenda est, ut alibi notavimus.

(34. Huc referri debent sponsalia, quæ sunt negotium præparatorium futuri matrimonii contrahendi, in quibus omnia determinantur, quæ inservire possunt futuro matrimonio contrahendo. (35. Huc quoque referendum pactum de mutuanda certa ac determinata pecuniæ quantitate ad certum tempus. Et propterea apud illas gentes, apud quas ex pacto actio oritur, actio ad interesse ei, cui promissio facta est, denegari nequit.

ARTICULUS II.

Quoad illos qui possunt, vel non, pacisci; quoad res de quibus licet, vel non, pacisci; et quoad pacta quedam illicita, et a jure reprobata.

SUMMARIUM.

1. Omnes illi pacisci possunt, vel non, qui possunt, vel non, contrahere. — 2. Qui autem possint, vel non, contrahere? remissive. — 3. Pacisci solum potest de iis rebus, quæ sunt paciscentium propriæ. — 4. Hinc pacisci non potest de rebus sacris et religiosis. — 5. Nec de rebus, quæ sunt publicæ et communes. — 6. Pacisci solum potest de rebus possibilibus. — 7. Item solum de rebus licitis et honestis. — 8. Omne pactum pro obtinenda re spirituali est penitus irritum, ac nullius momenti. — 9. Sic omne pactum circa spiritualia est illicitum, et continet Simoniam, saltem ecclesiasticam, quando illud intervenit in beneficiis ecclesiasticis, etc. — 10. Pactum, vi cuius beneficium ecclesiasticum debet pecunia resignari, nullum est atque Simoniacum. — 11. Et hoc etiam procedit de pacto illo, quo una pars litigans, privata convent., et sine auctoritate. Super. cedit liti, et altera pars vicissim dat aliquid temporale. — 12. Interveniens autem auctoritate superioris, scilicet Papæ, vel episcopi pars cedens liti super beneficio exorte, licite potest recipere aliquid temporale, vel propter bonum pacis, vel ob aliam hujusmodi justam causam. V. *Add. Casin. in fin.* — 13. Pactum, quo quis promittit novam pensionem, vel augmentum antiq. quæ, ut in Beneficio instituitur, est illicitum et Simoniacum. — 14. Pactum de succedendo in eccl. benef. est nullum. — 15. Non valet pactum factum in præjudicium juris parochialis. — 16. Pactum, quod filia dote contenta patri ab intestato non succedat, a jure improbatum, et non valet. — 17. Valet tamen tale pactum si fuerit juramento firmatum, et non vi nec dolo ab eadem præstitum fuerit. — 18. Pactum talis filie juramento firmatum valet etiam in foro civili. — 19. Ad hoc autem, ut talis filie pactum juramento firmatum valeat, et servandum sit, requiritur, quod juramentum non sit, nec vi, nec dolo extortum. — 20. Si vero fuerit extortum vi, aut dolo, tunc vel nullatenus est obligatorium, vel saltem non est efficaciter obligatorium. — 21. Hinc talis filia, quæ dote accepta, cum juramento renuntiavit paternæ hereditati, atque enormiter, seu ultra dimidium inde lesa fuit, post obtentam absolutionem a juramento, potest petere rescissionem dictæ suæ renuntiationis, atque hæc a iudice est concedenda. — 22. Pactum additionis in diem, quid, et quid juris de eo? remissive. — 23. Pactum legis commissoriæ, quid, et quid juris de eo? remissive. — 24. Pactum antichryseos quid, et quid juris de eo? remissive. — 25. Pacta hypothecæ, seu pignori adjecta quænam, et quomodo valeant? remissive. — 26. Pacta retrovendendi, seu redimendi quando, et quomodo liceant, vel non, et quid juris de ipsis? — 27. Pacta et conventiones seu compositiones, quas superiores locales regularium sine licentia generalium seu pro-

vincialium ineunt cum prælatis seu rectoribus parochialium ecclesiarum super juribus parochialibus, et aliis articulis de jure communi sunt valida, et observanda. — 28. Secus autem spectatis eorundem Apostolicis privilegiis, quæ, quid disponant post dicatas decretales, sunt diligenter attendenda. — 29. Alia ad rem ad n. 50. — 31. Subnect. *Add. ex al. man. ad n. 50.*

(1. Omnes illi pacisci possunt, vel non, qui possunt, vel non, contrahere. Pactum enim non differt a contractu, nisi sicut genus a specie. *Communis*, et patet ex l. *Hujus edicti 1, ff. De pactis*, ubi dicitur, quod « conventionis, seu pacti nomen generale est, quamvis postmodum conventionum pleræque in aliud nomen transeant, veluti in emptionem, in locationem, in pignus, » et hujusmodi; respectu quarum proinde conventio seu pactum ut sic obtinet rationem generis. (2. Qui autem possint, vel non, contrahere? *Vide verb. CONTRACTUS.*

Quamvis tamen omnes, qui contrahere possunt, possint etiam pacisci, nihilominus nequit pro omnibus pactum iniri. Etenim « quæcumque gerimus, cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem nostrum actum efficiunt. Et ideo neque stipulari, neque emere, vendere, contrahere, ut alter suo nomine recte agat, possumus. » L. 11, ff. *De oblig. et act.* Quare « nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest, » per text. in l. 73, § fin. ff. *De reg. jur.* Hoc adeo verum est, ut nec convalescat conventio, licet is, cui quis pactus est, paciscentis hæres postea exstiterit: puta: « Si pactus sim, ne a me, neve a Titio petatur, non proderit Titio, etiamsi hæres exstiterit: quia ex postfacto id confirmari non potest. Hoc Julianus scribit in patre, qui pactus erat, ne a se, neve a filia peteretur, cum filia patri hæres exstisset. » Leg. 17, § 4, ff. *Hoc tit.*

Hæc regula suas patitur limitationes. Nam quis utiliter paciscitur, nec videtur alteri pacisci, qui sibi, et hæredi suo paciscitur; nec solum omnibus, sed uni ex hæredibus meis paciscor utiliter, ne ab ipsis petatur. Hæc docet Celsus, in l. 33, ff. *Hoc tit.*: « Avus neptis nomine, quam ex filio habebat dotem promisit, et pactus est, ne a se neve a filio suo dos peteretur. Si a cohærede filii dos petatur, ipse quidem exceptione conventionis tuendus non erit, filius vero exceptione conventionis recte utetur. Quippe hæredi consuli concessum est: nec quidquam obstat uni tantum ex hæredibus provideri, si hæres factus sit, cæteris autem non consuli. » In eandem Celsi sententiam descendit etiam Pomponius, et iisdem fere utitur verbis in l. 10, ff. *De pact. dotal.* Utiliter etiam quis paciscitur ei, in ejus potestate est, cum ille jure potestatis per ipsum acquirere possit. Hinc « filius servusve, si paciscantur, ne a patre dominove petatur, » ut ex l. 17, § fin. ff. *hoc tit.*, « sive de eo paciscantur, quod cum patre dominove contractum est, » l. 18, ff. *eod.*, « acquirere actionem. » *Idem est*, et in his,

qui bona fide serviunt. » L. 19, ff. *eod.* Enimvero « per quos stipulatione acquiri nobis potest, per eosdem etiam pactis conventis meliorem nostram conditionem fieri posse placet. » Leg. 59, ff. *eod.*

Notandum insuper quod dum extraneo paciscor, licet per se inutilis conventio sit, nihilominus si id, quod ei paciscor, mea intersit, utiliter paciscor, nec videor alteri pacisci. Hinc Paulus: « Si sine persona sua reus pepigerit, ne a fidejussore petatur, nihil id prodesse fidejussori quidam putant, quam id rei intersit, quia ea demum competere ei debet exceptio quæ, et reo. » At qui hoc pactum non potest parere exceptionem reo, cum non sibi pactus sit, sed reo, ergo nec fidejussori. At prosequitur Paulus: « Ego didici prodesse fidejussori exceptionem, non sic enim illi per liberam personam acquiri, quam ipsi, qui pactus sit, consuli videtur, quo jure utimur. » L. 29, § 1, vers. *Quod si sine*, ff. *hoc tit.*

Observandum etiam, quod pactum, quo paciscimur extraneo, cum nostra non intersit, interdum tamen prodest per exceptionem doli. Exemplum offert Papinianus leg. 26, § 4, ff. *De pact. dotal.*: « Filia cum pro se dotem promitteret, pepigit, ut si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solvatur, pacto filie nulla matri quæritur actio. Si tamen hæres puellæ matri pecuniam dotis solverit, viro contra placita petenti dotem, obstat exceptio. » Non pacti exceptio, cum pactum inutile sit, sed exceptio doli, quia contra bonam fidem maritus facit, cum desiderat ut hæres uxoris, qui ex ipsius viro voluntate, et secundum id, quod ipsi viro placuit, dotem matri uxoris solvit, eam ipsi iterum solvat. Quod si hæres uxoris non jam solvisset eam matri, teneretur eam viro petenti ex promissione dotis solvere, nec ullam ex illo pacto, quod inutile est, exceptionem posset ei opponere, eo magis quod ejus non intersit viro, an matri solvat.

Una superest quæstio, nimirum si quis sibi et extraneo paciscatur, an ex ea conventionione jus in solidum paciscenti acquiratur? Ita obtinere debere definit Javolenus, in l. 64, ff. *De contrahend. empt.*: « Fundus ille est mihi et Titio emptus. Quæro utrum in partem, an in totum venditio consistat, an nihil actum sit. Respondit: « per sonam Titii supervacuo accipiendam puto, ideoque totius fundi emptionem ad me pertinere. » Non tamen hoc obtinet in omnibus conventionibus. In stipulationibus enim, cum stricti juris sint, si quis sibi et extraneo stipuletur, stipulatio in partem tantummodo valet, per text. in l. 110, ff. *De verb. oblig.* Quemadmodum nemo alteri pacisci potest, pariter nemo paciscendo promittere potest, nisi de se non vero de alterius persona, ut infra fuse pertractabimus, ubi sermo erit de verborum obligationibus*.

(3. Pacisci solum potest de iis rebus quæ sunt paciscentium propriæ; § *Idem juris 2,*

inst. *De inutilibus stipulationibus*, ibi: « Quæ enim natura sua dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt. » (4. Hinc pacisci non potest de rebus sacris et religiosis, quæ cum sint juris divini, in nullius bonis sunt, § *Nullius 6*, instit. *De rerum divisione*, ibi: « Nullius autem sunt res sacræ, et religiosæ, et sanctæ; quod enim divini juris est, id nullius in bonis est; » et concordat cit. § *Idem juris 2*, instit. *De inutilibus stipulationibus*, ibi: « Item juris est (id est inutilis erit stipulatio), si rem sacram, aut religiosam, quam humani juris esse credebatur, » etc. (5. Item pacisci non potest de rebus, quæ sunt publicæ et communes, ut sunt flumina, littora, forum, theatra, stadia, et similia; quæ enim communibus et publicis usibus populi perpetuo exposita sunt, sub pactis privatorum cadere non possunt, § 1, 2, 3, 4, 5 et 6, instit. *De rer. div.*, et cit. § *Idem juris 2*, *De inutilibus stipulationibus*.

* Rursus in quæcumque conventionem, sive sit simplex conventio, sive sit contractus, deduci non potest, nisi quod intersit ejus, cui promittitur. Hinc Proculus respondit in l. 36, ff. *eod.*: « Si cum fundum meum possideres, convenisset mihi tecum; ut ejus possessionem Attio traderes, vindicantem eum fundum a te, non aliter te conventionis exceptione excludi debere, quam si aut jam tradidisses, aut si tua causa id inter nos convenisset, et per te non staret quominus traderes. » Dicitur *tradidisses*. Cum enim desieris possidere, utpote ex voluntate mea rem Attio tradendo, non es obnoxius vindicationi, quæ non nisi adversus possessorem competit. Dicitur *tua causa*; nam si non tua causa, id est, si nihil tua intersit, rem Attio tradi, conventio inutilis est, nec de ea excipere potes: nec enim in conventionem deduci potest, nisi quod paciscentis intersit. Quamvis tamen hujusmodi pacta inutilia sint, quoties paciscentis non intersunt, possunt nihilominus confirmari adjecta stipulatione pœnali, qua stipulabitur aliquid, si id pactum non fuerit sibi dari, per textum in l. 11, ff. *De religios. et sumpt. funer.* Si locus monumenti hac lege venerit, ne in eum inferrentur, quos jus est inferri, *Pactum quidem illud non sufficit* ad parandam actionem, quamvis contractui bonæ fidei adjectum, quia non potest quis agere, ne fiat aliquid, quod ipsius non interest fieri necne; *sed stipulatione id caveri potest*, pœnali scilicet, quia si adversus conventionem factum fuerit, quasi existente conventionem poterit stipulator petere pœnam, et recte agel, cum ipsius intersit, ei dari id, quod pœnæ nomine promissum est.

(6. Pacisci solum potest de rebus possibilibus. Pactum enim rei impossibilis, sive de jure, sive de facto nullam obligationem inducit, textu expresso in c. *Pactionis 8*, *De pactis*, verbis mox in numero sequenti adducendis. Impossibile enim nulla est obligatio, l. *Impossibile 185*, ff. *De regul. juris*. Et nemo potest ad impossibile obli-